

indagationem causae Cachexiae (1168.).  
2. Temperiei morbi, aegrique, 3. symptomatum. 4. Excretorumque.

1182. Haec cognita corrigenda suis contrariis (vid. 1166.)

## EMPYEMA.

1183. Quoties intra pulmones & pleuram pus in Thoracis cavo colligitur Empyema est.

1184. Quod semper supponit vomicam purulentam fuisse ruptam, cujus elapsus pus Thorace recipitur.

1185. Tales sunt vomicae. 1. Pulmonum ab inflammatione horum (820. 867.). a sputo sanguineo, a materie ad fluorem inepta his impacta. 2. Pleurae ab inflammatione hujus, (875.) a vulnere externe inflictio levi, cito externe clauso, interne rupto (298.), a contusione hujus, vel rptione tecta suppuratum abeunte (324.) 3. Diaphragmatis inflammati, suppurati, in superiora rupti (907. 910.). 4. Mediastini similiter affecti. (877.). ut & 5. Pericardii ipsius (877.).

1186. Cognoscitur futurum 1. ab inflammatione quinque partium (1185.) nulla coctione, revulsione, crisi, medicamento depurata, sed cum horrore vago, febr-

febricula, noctu gravi, calore vago, gravitate loco doloris, dyspnoea, appetitu prostrato, siti majori desinente, vid. (833. 892. 913.).

1187. Cognoscitur jam praesens 1. a tempore inceptae inflammationis xx. dierum sine purgatione. 2. a signis vomicae in quinque partibus (1185.) disparentibus. 3. a novo dolore, tussi, dyspnoea, salivatione ortis, moxque disparentibus. 4. a tussi sicca, gravitate ad diaphragma, decubitu in unum latus, strepitu puris ad motus, febre lenta, genis rubentibus, oculis cavis, digitis in extremitate calidis, unguibus recurvis, abdominis tumore.

1188. Effectus hujus mali 1. puris ex ulcere rupto, nec dein sanato, vel repurgato, continua accumulatio. 2. hujus in loco clauso, calido, humido, perpetim agitato, exacerbatio, putredo, foetor, attenuatio. 3. diaphragmatis elevandi impedimentum, pulmonumque extendendorum: unde anhelosa, difficilis, erecta respiratio, metus suffocationis jacenti, decubitus in liberam partem impossibilis, tussis sicca perpetua, anxietas. 4. Pulmonis, Pleurae, Diaphragmatis, Pericardii, Cordis ipsius maceratio, corrosio, in tabum fluidum consumptio, unde febricula hectica cum pulsu celeri, parvo, rubore

Aphor.

V

gena-

genarum, siti perpetua, fame sublata; debilitate summa, animi defectibus.  $\zeta$ , hinc omnium liquidorum ineptitudo ad nutritionem, circulationem, secretionem, excretionemque; unde tabes, *ἀτροφία*, fibrarum resolutio, liquidorum putredo, adeoque vel per comesum pulmonem rejectio, vel alvi fluor saniosus lethalis, cum sudore nocturno post somnum, pustulis faciei, aduncis unguibus, flavedine pellucente, facie Hippocratica.

1189. Curtati hujus pro varietate causae statusque mali diversa plane est.

1190. Nam 1. cognita vomica pulmonis, pleurae, diaphragmatis, mediastini, & pericardii; quod cognoscitur ex signis propriis, (834. 835. 839. 910.) omni ope nitendum, ut, id rumpatur quantocyus, & determinetur ad exteriora: quod fit igne, ferro, medicamentis, motu idoneo.

1191. 2. Ubi constat jam factam disruptionem (302. 836. No. 4. 5. 894. 910.), tum statim pus elapsum erit educendum,  $\alpha$ . per os, si natura hanc monstraverit viam.  $\beta$ . per urinas, si in ea apparent puris evacuati signa.  $\gamma$ . per Thoracis aperturam, factam ope instrumenti idonei in latere affecto, inter costam  $\zeta$ . & 6, vel 4. & 5, ab inferioribus numero ducto, pure lente, & per vices educto, & leni  
mulsa

mulsa aliquando repurgato, ultimo bene consolidato (303.).  $\delta$ . dando simul decocta Vulneraria, abstergentia, putredini resistentia satis magna copia.

1192. Si pus album, laeve, aequale, foetoris expers, specillum non colorans exit, si aeger sine febris, siti, alvi fluore, bene appetit, digerit, caetera sanus est. Aeri ingressus in thoracem, quantum possibile, prohibetur, spes est, aegrum convalituum (304. 305.).

1193. Si pus fuscum, ichorosum, fibrillis mistum, foetidum, specillum instar ignis colorans, subcruentum, uno impetu totum effluens, effluit, summum periculum, & mors, vel phthisis.

1194. Si exesum fuerit mediastinum, aperto Thorace, saepe subitanea suffocatio.

1195. Si Empyema vetus, vires collapsae, capilli jam cadant, alvi fluor colliquativus adfit; Corpus contabescat; paracentesis facta mortem accelerare solet.

### PHTHISIS PULMONALIS.

1196. Si ulcus pulmones excederit ita, ut totus inde habitus Corporis consumatur, Pthisis Pulmonalis aegrum afficere dicitur.

V 2

1197.